



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

95. Pechini PP. fructuosè laborant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

ille cum brevi se se collegisset; pro! inquit, erumpens; quam bellè mihi, ea solennitas aduentat! Deo laus: moriar illo die: est ne huic comparabilis in anno dies? in quo mortis propriæ dolorem sorbeat immensa ex resurgente Christo lætitia? & vero sub ortum illius diei placide animam efflavit, vitumque id illi prædictum diuinitus, hæud tam opinor ad morbi dolores vicinæ gloriæ promulsive aliqua condiendos, quam ad Neophytos, certâ eius fidaciâ, in Christi obsequio confirmandos. Inter alios partus generosos quibus etsi raris sed multorum vicem æquantibus, Nanchinum præ aliis vrbibus nobilitavit, auxitque Christi fidem, nominatur Paulo non multum inferior, cui suus dabitur in sequentibus locus. Reuisendum nunc nobis Pechini, Riccius & Pantoia, rem Christi quàm gnauiter, & emolumento quàm copioso gerant: utriusque deinceps in Sinenli lingua pariter expedito, diei nulla pars vacabat ab aduentum concursu vel adeundorum inuitatu; cæterus utrobique assidui, sermo perpetuus & disputatio de mathematicis, physicis, legibus, præceptis morum, & grauioribus de Deo, & immortalis animo, & futurorum post hanc vitam expectatione: quocumque porro studio instincti, audis auribus dicentem Riccium biberent, quem reuerentibus vt Magistrum, sermo eius omnis cuiuscumque fuisset argumenti, desinebat semper in decretoria & æterna religionis veræ principia, & effata, quibus apparebat illos vehementissimè commoueri ad gerendam omni contentione, dum viuerent, futurorum curam, & satagendum vt quod erat æternum, atque immortale, post momentum hoc æui breuissimum beatum esset. Ac nisi expertum nationis illius, aulæ, nobilium & Literatorum conditio docuisset, ad stabiliendam Christi fidem præstare paucos inculpatæ vitæ, & censorij exempli, multis solutæ disciplinæ, & nomen Christianum priuato dedecore inficientibus; prouum illi erat ingenti numero lectam illam grauari Christianitatem: pergitque paucorum quos Christo adiunxerat censere nomina, titulos, dignitatem, & susceptæ vitæ rationes virtutum numeris perfectas, quibus mirè crescebat Christianæ legis existimatio: eorum vnum in specimem omnium hic pono. Nobilis Mandarinus, ex Tribunalibus Regis Senator, cognomento Li, ardens aliquid certi de Deo, & animâ nosse, quicquid doctrinarum apud Literatos, Oscianos & Taoios est, versarat; ex eo multorum annorum operoso conatu, tam densa illi adhæserat caligo multiplicium errorum, vt monstratum à Riccio solem non cerneret, essetque opus exquisita rùm errorum illorum peritia, tum dexteritate ad deradendam ab eius oculis cæcam albuginem; igitur cum se ostentaret astrorum & cœli notitia, Riccius hæc illum domare aggressus est vt digito tangeret, quantopere in his allucinetur, ex quo conficiendum illi dedit, quanto grauius in his quæ super cœlum, & astra sunt, erraret quorum sibi magisterium vlturpabat. Ita effectus docilior, & demùm expugnatus, in procinctu erat vt Christo se dederet; sed restabat lethalis remora, cui amouendæ nisi

95.  
Pochini PP.  
fructuosè la-  
borant.

95.  
E conuers.  
infignes.